

Escritura de donación
de
ciertos lugares hecha a la iglesia segobricense por
Zeyt Abuzeyt,
rey moro de Valencia

Sacada de la copia que existe en
el archivo de la Cartuja de Vall de Cristo,
y cotejada con otra
del archivo de la santa iglesia de Segorve



Biblioteca Virtual de
Pensamiento Político Hispánico
Saavedra Fajardo



Escritura de donacion de ciertos lugares hecha á la iglesia segobricense por Zeyt Abuzeyt, rey moro de Valencia (a) (V. pág. 42).

Innotescat præsentibus, et futuris, quod nos Azeyt Abuzeyt, vel potius Vincentius, rex Valentiaë, nepos Almiramamolini, attendens quod principes tunc justitiam excolunt, cum neminem lædunt, et jus suum unicuique tribuunt, hoc idem in juribus segobricensis ecclesie conservare volentes, licet non omnia, quæ secundum divisiones inclitæ recordationis regis Bambæ ab antiquo habuit, partim à christianis, partim à sarraçenis detenta, ei assignare possimus; quatenus tamen possumus procedere cupientes, omnia ea quæ in presentiarum ad manus nostras per nos, et nostros tenemus videlicet, Arenoso, Montan, Castiel Montan, Sirat, Tor-

(a) Sacada de la copia que existe en el archivo de la Cartuxa de Vall de Cristo, y co-

tejada con otra del archivo de la Santa Iglesia de Segorve.

mo, Fuentes, Villahaleva, Villamalud, Bordelos, Arcos, Xoda, Bueynegro, Villamalea, et ex ipsâ parte ea, quæ in proximo, volente Altissimo, habere speramus, scilicet, Ondam, Nules, Hujon, et Almenara, cum omnibus terminis, et pertinentiis suis, cum omnibus vallibus, montaneis, pro ut prædicta castra versus Segobricam concluduntur; ex altera autem, Alpuent, Cardeheis, Andilla, Tuessa, Chelva, Domenyo, Juliella, Liria, et inde Murbedro, et omnia alia, quæ infra ista versus Segobricam concluduntur, Deum habentes præ oculis, et in remissionem peccatorum nostrorum, ab ista die in antea Segobricensi ecclesiæ, et venerabili charissimo amico nostro Guillermo, ejusdem in pastorem electo, assignamus, concedimus, et damus, ut ex tunc tanquam diocesanus episcopus noster ea ad jus vestrum, vestræque ecclesiæ habeatis, possideatis, et quatenus opportunum fuerit *explectis* in æternum et in sæculum sæculi usque in finem mundi; vobis, et dictæ ecclesiæ in civitate ipsâ, sive diocesi, castris, et villis omnia jura illa quæ in vicinis episcopatibus, videlicet, conchen, cæsaragustan., omnes ecclesiæ, et matrices, et aliæ percipere dinoscuntur, ab integro assignando. Promittentes vobis in eo qui dixit: *Ego sum via, veritas, et vita*, quod in castris, villis, ruribus, vel aldeis de tam nominatis, vel de aliis, quæ infra concluduntur, quæ jam habemus, pro ut diximus, cum dante Domino in proximo habere speramus, quam cito fidem, et baptismatum nostrum publicaverimus, in omnibus clericos vestros recipiamus ad omnia quæ secundum canonicas sanctiones, quibus diocesanus in suâ potest diocesi injungere, et mandare. Hoc idem posteris nostris fidelibus filio, et filiis districte mandamus, et eos ad hoc perpetuò obligamus, quòd hanc concessionem nostram piam, justam, rationabilem, ratam habeant, custodiant, et conservent, et faciant bona

fide, quantum in eis fuerit, inviolabiliter observari. Nos autem licet et fidem nostram adhuc publicari nolumus, donec nostris commodis tempus adveniat opportunum; ab istâ tamen die in antea pro nobis omnibus christianis nostris vos recepimus, quoad omnia quæ episcopus potest in sua diocesi, et in suos parrochianos in nostrum episcopum, et pastorem. Actum est hoc apud Turolium decimo calendas madii, anno Domini millesimo ducen-
tessimo trigessimo sexto. Actum est hoc, inquam, in præsentia nobilis viri Petri Ferdinandi, domini dictæ civitatis Sanctæ Mariæ de Albarrasin, et Furtadi militis ipsius Azeydi, testium ab ipso ad hoc rogatorum.